



## **Opvs Theologicvm**

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

**Mauro, Silvestro**

**Romae, 1687**

Q. 141. Vtrum Angelus possit naturaliter se constituere in loco minori, & minori in infinitum, & etiam in loco indiuisibili, ac nullibi, & extra mundum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

sed solum successiue per motum localem, eo pacto, quo cū ego moueor per spatium vnius milliaris, sum successiue in toto spatio milliaris per motum localem. Verba enim Nazianzeni orat. 34. sunt: *Vbiq̃ue adsunt, tum ob ministerij promptitudinem tum ob naturæ leuitatem*; ergo docet Angelos propter naturæ leuitatem posse ita velociter moueri, vt breuissimo tempore successiue occupent omnia loca. In eodem sensu loquitur Hieronymus, nec non Tertullianus in Apolog. cap. 22. dicens: *Omnis spiritus ales est: igitur momento vbiq̃ue sunt*.

12. Ad 2. Transeat antecedens, de quo disputabimus disputatione sequenti: & nego consequentiam. Non repugnat, quod Angelus liberè se determinet ad producendam in se vocationem minorem maxima, quam posset producere: at proculdubio repugnat, vt producat in se vocationem maiorem maxima, quam posset producere; siquidem hæc maior maxima excedit virtutem naturalem Angelicam.

### QVAESTIO CXLI.

*Virum Angelus possit naturaliter se constituere in loco minori, & minori in infinitum, & etiam in loco indiuisibili, ac nullibi, & extra mundum?*

1. Videtur quilibet Angelus ita determinatum locum sibi postulare, & exigere, vt non possit naturaliter existere in loco minori, nec vbicari per vocationem minorem: primò quia nemo potest impedire proprietates ex sua natura naturaliter consequentes; sed tanta vbicatio connaturaliter sequitur ex natura cuiuslibet Angeli iuxta perfectionem ipsius: ergo quilibet Angelus non potest impedire vocationem sibi proportionatam, & se restringere ad vocationem minorem.

2. Secundo Deus, qui est superior Angelus, ita ex sua natura est determinatus ad vocationem vndique immensam, vt non possit se contrahere ad vocationem minorem immensam: corpora, quæ sunt inferiora Angelo, ita ex sua natura sunt determinata ad tantam vocationem, vt non possint se contrahere ad minorem vocationem, & ad locum minorem: ergo etiam Angeli, qui sunt inferiores Deo, & superiores corporibus, ita sunt ex sua natura determinati ad tantam vocationem, vt non possint se contrahere ad vocationem minorem.

3. Tercio Angeli non possunt se determinare ad vocationem maiorem, & maiorem in infinitum, sed datur aliqua vbicatio, qua maiorem non possunt naturaliter habere: ergo neque possunt se determinare ad vocationem minorem, & minorem in infinitum, sed datur aliqua vbicatio, qua minorem non possunt naturaliter habere.

4. Quarto, vt arguit Scotus in 2. dist. 2. quæst. 6. alicuius determinatæ virtutis est constituere se in aliquo loco, & maioris se constituere in loco minori; ergo si Angelus sua naturali virtute posset se constituere in loco minori, & minori in infinitum, haberet virtutem infinitam, quod est inconueniens.

5. Quinto, vt arguit idem Scotus: si Angelus posset esse in loco minori, & minori in infinitum, posset etiam naturaliter se constituere in loco longiori, & longiori in infinitum, ac proinde posset se constituere in loco ita longo, vt à terra perueniret vsque ad vltimum, & distantissimum terminum cæli empyrei, imò in loco longiori in infinitum; sed hoc est absurdum, & contra doctrinam Patrum, qui dicunt Angelum non posse simul esse in cælo, & in terra: ergo. Probatu r sequela: si enim Angelus posset naturaliter se constituere in aliquo spatio quadrato, posset etiam se constituere in quolibet alio spatio æquali, cuiuscumque figuræ sit; sed si coarctentur magis, & magis latera talis quadrati, posset fieri quadrangulum æquale tali quadrato, secundum latitudinem minus, & minus, arctius, & arctius, ac secundum longitudinem maius, & maius, ac proinde pertingens vsque ad cælum, vt demonstratur à mathematicis; ergo si Angelus posset se constituere in loco minori, & minori, arctiori & arctiori, posset se constituere in quadrangulo æquali quadrato longiori, & longiori, ac proinde pertingente vsque ad cælum: quod est inconueniens.

6. Confirmatur: nam Euclides propos. 35. lib. 1. demonstrat idem corpus, quod est in vno loco, posse esse in alio loco æquali, (intellige si figura nō obstat); sed in Angelo, cum figura careat, figura non obstat, quin ponatur in quadrangulo æquali, arctiori, & arctiori, ac longiori, & longiori: ergo Angelus posset se constituere in quadrangulo æquali quadrato, quod posset implere, etiam si tale quadrangulum æquale sit arctius, & arctius, longius, & longius, ac proinde perueniat vsque ad cælum.

7. Sexto videtur, quod Angelus licet possit se constituere in loco diuisibili minori, & minori in infinitum, tamen non possit se constituere in loco indiuisibili, puta in puncto: tum quia non dantur puncta, lineæ, ac superficies indiuisibiles; tum quia illud dicitur esse in loco, quod est intra ambitum loci: sed punctum nullum habet ambitum: ergo.

8. Respondeo plures esse sententias. Prima Hibernici in 1. dist. 8. quæst. 2. qui vt refert Gregorius in 2. dist. 2. art. 2. docuit Angelum ex sua natura ita exigere locum magnitudinis, ac figuræ determinatæ, nimirum circularis, vt non possit se constituere in loco minori, vel alterius figuræ.

9. Secunda Sententia Sancti Bonauenturæ in 2. dist. 2. parte 2. dist. quæst. 3. Caietani & Thomistarum communiter, Gregorij, Gabrielis.

briliis, Maioris, Marfilij, Agidij, Richardi, Ochami, & aliorum, quos refert, & sequitur Suarez lib. 4. de Angelis, c. 11. n. 14. & sequentibus, docet Angelum ita posse esse in loco maximo, ut non possit se naturaliter constituere in loco maiori, sed possit se pro libito constituere in loco minori in infinitum. Tradit autem hanc sententiam satis expresse Sanctus Thomas 1. par. quæst. 50. art. 2. in corpore.

10. Ex his Sanctus Thomas loco citato, Richardus in 2. dist. 2. art. 2. quæstione 2. Capreolus eadem dist. quæst. 1. Ferrariensis 3. contra Gentes, cap. 68. Caietanus, & alij, quos refert, & sequitur Suar. lib. 4. num. 21. & sequent. docent Angelum posse se constituere in loco etiam indivisibili, puta in puncto. Alij, nimirum Gabriel, & Gregorius in 2. distinct. 2. Maior, Marfilij, & Ochamus negant Angelum posse se constituere in puncto, linea, & superficie secundum omnem, vel aliquam dimensionem indivisibilibus, quia existimant hæc indivisibilia non dari. Alexander 2. par. quæst. 32. Membro 3. Sanctus Bonaventura in 2. dist. 2. art. 2. quæst. 13. & alij, licet admittant indivisibilia, negant Angelum posse se constituere in puncto, vel in alio loco indivisibili secundum omnes, vel aliquas dimensiones.

11. Tertia sententia est Scoti in 2. dist. 2. quæst. 6. qui postquam docuit Angelo convenire locum maximum, quo maiorem habere non possit, & minimum, quo non possit habere minorem, addit hanc rem esse dubiam. Itidem asserit non esse satis compertum, utrum Angelus possit, vel non possit se constituere in puncto. Vasquez hic disp. 191. cap. 2. docet Angelo convenire locum maximum, quo maiorem habere non possit; at non satis nobis constare, utrum conveniat etiam minimum, ita ut non possit se constituere in loco minori. Idem disp. 192. cap. 2. num. 9. addit non satis etiam constare, utrum possit, vel non possit se constituere in puncto.

12. Dicendum cum Sancto Thoma hac quæst. 52. art. 2. in corpore: Angelus naturaliter potest liberè se constituere in loco minori, & minori in infinitum, tum divisibili, tum indivisibili secundum omnem, vel aliquam dimensionem, puta in puncto omnino indivisibili, in linea divisibili secundum longitudinem, indivisibili secundum latitudinem, & profunditatem, & in superficie divisibili secundum longitudinem, & latitudinem, indivisibili secundum profunditatem. Tradit hanc sententiam satis expresse Sanctus Thomas hic 1. par. quæst. 52. artic. 2. in corpore, ubi loquens de Angelo dicit: *Non est necesse, quod determinetur ei unus locus indivisibilis secundum situm, sed vel divisibilis, vel indivisibilis, vel maior, vel minor, secundum quod applicat suam virtutem ad corpus maius, vel minus.*

13. Probatur: Nam Angeli conveniunt cum anima rationali in hoc, quod sunt immateriales, & indivisibiles: differunt in hoc,

quod anima rationalis est forma corporis organici humani, Angeli non sunt forma vilius corporis; sed anima rationalis est nobis notior Angelis: naturale autem est nobis, ut ex notioribus philosophemur de minus notis: ergo ex ijs, quæ nobis nota sunt de vocatione animæ, debemus philosophari de vocatione Angelorum, in quantum conveniunt cum anima rationali, ex differentia autem Angeli ab anima rationali, debemus inferre proportionales differentias inter vocationem Angeli, & vocationem animæ rationalis: sed anima rationalis naturaliter potest esse in loco maiori, vel minori, ac de facto cum primo infunditur corpusculo valde parvo, est in loco parvo, crescente corpore, & occupante locum maiorem, anima occupat locum maiorem: ergo etiam Angelus potest esse in loco maiori, vel minori.

14. Ex differentia Angeli ab anima rationali unita corpori oriuntur plures differentie vocationis Angelicæ ab vocatione animæ rationalis. Prima differentia est: Anima rationalis, dum est unita corpori, vbiatur per accidens per vocationem corporis, & receptam in corpore, ut dixi in Physica quæst. 27. in resp. ad 5. Angeli è conversò, quia non sunt uniti vili corpori, vbiantur per se vocatione recepta in ipsis Angelis. Ex eadem ratione animæ post mortem hominis, quando sunt à corpore separata, vbiantur per se vocatione recepta in ipsismet animabus.

15. Secunda differentia est. Anima rationalis, dum est in corpore, non potest habere vocationem, cuius non sit capax corpus organicum: at anima separata, & Angeli ex opposita ratione possunt habere vocationem, cuius corpus organicum humanum capax non sit.

16. Tertia differentia est: Anima rationalis, dum unitur corpori, non potest esse in loco minori, & minori in infinitum. Ratio est, quia corpus organicum humanum non potest naturaliter existere in mole minori, & minori in infinitum, ut dixi in libris de Generatione, quæst. 31. ergo anima, dum est unita corpori, non potest esse in loco minori, & minori in infinitum; sed Angeli corpore non indigent: ergo possunt se constituere in loco minori, & minori in infinitum. Ex proportionali ratione anima dum est in corpore, non potest esse in loco indivisibili secundum aliquam, vel secundum omnem dimensionem, quia corpus organicum, quod sit instrumentum aptum animæ ad exercendas operationes humanas, non potest esse punctum, superficies, vel linea. At Angelus, & anima separata possunt se constituere in loco etiam indivisibili, puta in puncto, superficie, & linea, quia corpore non indigent ad exercendas suas operationes. Confirmatur: nam cum Angelus, & anima rationalis separata sint indivisibiles, sicut possunt se constituere in loco divisibili, in quo sint toti in toto, toti in qualibet parte, sic vi-

de

detur, quod à fortiori possint se constituere in puncto penitus indiuisibili.

17. Tertia differentia est: anima dum corpori vnitur, non potest esse in loco cuiusque figuræ, sed debet esse in loco talis figuræ, ut illi possit applicari corpus humanum cum sua figura. At Angelus, & anima separata possunt se constituere in loco cuiuslibet figuræ, cum corpore non indigeant.

18. Quæritur primo, vtrum locus adæquatus Angelo debeat designari secundum figuram sphericam?

Respondet affirmatiue Suarius lib. 4. de Angelis, cap. 1. num. 20. Existimo, quod ita potest designari secundum figuram sphericam, ut quilibet alius locus illi æqualis cuiuslibet figuræ sit Angelo adæquatus, & ut Angelus sit penitus indifferens ad se constituendum in loco adæquato, vel spherico, vel cuiuslibet alterius figuræ. Natura enim penitus incorporea non postulat locum vnius potius figuræ, quam alterius.

19. Quæritur secundo, vtrum Angelus habeat locum sibi adæquatum, non solum simpliciter, sed etiam secundum quid, & secundum quamlibet dimensionem: e.g. vtrum non possit naturaliter excedere locum tantæ longitudinis, tantæ latitudinis?

Respondet affirmatiue cum Suario lib. 4. cap. 1. num. 21. Ratio est, quia cum Angelus sit limitatus, postulat sibi vocationem limitatam secundum quamlibet dimensionem. Confirmatur: nam ut ex Scoto obieciatur num. 5. in quinto argumento, posset Angelus se constituere in loco in infinitum arctiori, & arctiori, ac longiori, & longiori, & sic posset esse simul in terra, & in vltima extremitate coeli empyrei, quod est contra communem sensum, & existimatur repugnare limitationi Angelorum. Si verò queratur, quo pacto debeat determinari longitudo loci, quem Angelus possit occupare, Suarius existimat, quod si intelligatur locus adæquatus Angelo sphericus, diameter talis spheræ, est longitudo maxima, quam Angelus possit occupare.

20. Quæritur tertio, quare ex eo, quod Angeli sint in loco corporeo figurato, non sint figurati, puta cum sint in loco rotundo, non sint rotundi, cum sint in loco quadrato, non sunt quadrati?

Respondet rationem esse, quia res constituitur figurata per hoc, quod terminetur suis intrinsecis dimensionibus constituentibus talem figuram; sed Angeli, & animæ rationales sunt indiuisibiles, & carent omni dimensione; ergo sicut anima licet sit in corpore figurato, non est figurata, sic Angelus, licet sit in loco corporeo figurato, non est figuratus licet sit in loco rotundo, vel quadrato, non est rotundus, vel quadratus.

21. Quæritur quarto, vtrum Angelus sicut potest se constituere in loco minori, & minori in infinitum, sic possit se constituere nullibi, hoc est extra omnem locum, vel saltem

extra mundum, & extra omnem locum corporeum, ac in spatijs imaginarijs.

Respondet ex dictis in Physica quæst. 27. in resp. ad 7. Existimo igitur primò cum Suario lib. 4. de Angelis cap. 3. contra Scotum, & aliquos recentiores, Angelum per nullam potentiam posse esse nullibi. Ratio est, quia vniuersim repugnat, ut quod existit, nullibi sit, & careat omni vocatione; ergo repugnat etiam, ut Angelus sit, & etiam miraculosè nullibi sit, & careat omni vocatione. Probatur antecedens primò ex communi sensu. Ut enim dicit Aristoteles 4. Physic. t. 1. Omnes ea, quæ sunt, alicubi esse existimant, quia id, quod non est, nusquam est. Vbi enim est Hippocentaurus, aut Chimera? Secundo valde affinia sunt nunquam esse, ac nusquam esse; sed implicat, ut aliquid sit, & nunquam sit; ergo repugnat, ut aliquid sit, & nusquam sit. Probatur minor: nam alioquin posset aliquis esse beatus, & nunquam, ac nullo tempore esse beatus, quod est penitus inintelligibile. Tertiò non potest aliquid existere, quin sit in tempore, ac proinde comprehendatur diuina æternitate; ergo non potest existere, quin sit in loco, & comprehendatur diuina immensitate. Quarto quod existit, vel est propinquum alijs rebus, vel ab illis distans; sed propinquitas, vel distantia consequuntur vocationem; ergo quod existit habet aliquam vocationem.

22. Existimo secundo Angelos non posse se naturaliter constituere extra mundum, & extra omnem locum corporeum in spatijs imaginarijs, posse tamen de potentia absoluta existere extra mundum, & extra locum corporeum in spatijs imaginarijs.

Probatur prima pars: nam Angeli cum sint partes vniuersi, non possunt naturaliter se separare à toto. Probatur secunda pars: nam Deus potuisset creare Angelos, & non creare vllum corpus; ergo tunc Angeli existerent, & haberent suam vocationem, per quam non essent presentes vlli loco corporeo; ergo etiam de facto, existente mundo, & locis corporeis, Deus posset Angelos constituere extra vltimam superficiem mundi, ac coeli, & extra omnem locum corporeum.

23. Concluditur ex dictis, ea redigendo in compendium, quod Angelus non potest impedire in se omnem vocationem, ac constituere nullibi, quia repugnat enti, ut nullibi sit: non potest se naturaliter constituere extra mundum, & extra omnem locum corporeum, quia cum sit pars mundi, non potest se separare à suo toto: non potest se constituere in loco maiori, & maiori in infinitum, quia cum sit limitatus, postulat sibi locum limitatum, adeoque cuiuslibet Angelo conuenit suus locus adæquatus, & maximus, quo maiorem naturaliter non possit habere. Ex eadem limitatione non potest se constituere in loco longiori, & longiori in infinitum. Quia tamen Angelus est spiritualis, & indiuisibilis, infiguratus,

ratus, & corpore, ac dimensione non indigens, potest se constituere in loco corporeo cuiuslibet figuræ, minori, & minori in infinitum, tum diuisibili, tum indiuisibili secundum omnem, vel aliquam tantum dimensionem, ac proinde potest se constituere etiam in puncto, linea, vel superficie. Licet autem Angelus sit in loco figurato, non figuratur, quia figura consistit in dimensionibus, quibus res intrinsecè figuratur: Angelus autem sicut caret omni dimensione, sic caret omni figura.

24. Ad 1. distinguo maiorem; nemo potest impedire proprietates ex sua natura naturaliter consequentes cum omnimoda determinatione, concedo; consequentes sine omnimoda determinatione, & cum aliqua indeterminatione, nego; distinguo eodem. Sicut Angelus est ex sua natura determinatus ad hoc, vt sit in loco per aliquam vicationem, sed non est determinatus ad hoc, vt sit in hoc loco per hanc vicationem, ideoque potest pro libito per motum localem constituere se in hoc, vel illo loco: sic est determinatus, vt sit in loco non excedente suam naturam limitatam, sed dummodo non excedat, est indifferens ad hoc, vt se constituat in loco maximo, & adæquato, vel minori, & minori in infinitum, ideoque potest se determinare ad existendum, vel in loco maximo, & adæquato, vel in loco minori, & minori in infinitum. Confirmatur exemplo animæ rationalis, quæ potest esse in corpore humano maiori, vel minori. Confirmatur rursus: nam exorcistæ sæpe suis exorcismis constringunt Angelos malos, qui vocantur dæmones, ad hoc, vt se contrahant ad vnam tantum partem exiguum corporis obfessi.

25. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Deus quia est vndique illimitatus, non solum habet omnes perfectiones, sed habet illas identificatas cum sua essentia, & est actus purus; sed immensitas, siue vicatio vndique infinita est perfectio; ergo Deus ita est immensus, vt immensitas identificetur cum essentia diuina, ac proinde Deus non est in potentia ad hoc, vt sit immensus, vel vibetur per vicationem minorem immensa. At Angelus cum sit limitatus, debet non vibari per vicationem immensam, & debet esse indifferens ad hoc, vt sit in hoc, vel in illo loco, in loco maiori, vel minori, proportionaliter, ac anima rationalis. Corpora cum careant voluntate, sicut mouentur naturaliter, non voluntariè, sic vibantur naturaliter: & quia natura determinat ad vnum, sunt determinata ad vicationem maximam, quam hic, & nunc habere possunt. Angeli è conuerso sicut mouentur voluntariè, sic vibantur voluntariè, & possunt se vibare vicatione maiori, vel minori, prout voluerint.

26. Ad 3. Causa voluntaria finitæ virtutis non potest voluntariè se determinare ad esse-

rum, qui excedat eius virtutem, ideoque non potest se determinare ad effectum maiorem, & maiorem in infinitum. At potest se determinare ad effectum minorem sua virtute, ideoque non repugnat, vt se determinet ad effectum minorem, & minorem in infinitum; ergo non est inconueniens, vt Angelus non possit se voluntariè determinare ad vicationem maiorem, & maiorem in infinitum, siquidem peruenitur ad aliquam, quæ excedat virtutem Angeli: possit autem se determinare ad vicationem minorem, & minorem in infinitum, quatum singulæ essent infra virtutem Angeli. Confirmatur: nam Angelus non potest se mouere motu velociori, & velociori in infinitum; at potest se mouere motu tardiori, & tardiori in infinitum; ergo à pari.

27. Ad 4. Nego antecedens, nimirum, quod ad se constituendum in loco minori, & minori, requiratur virtus maior, & maior: Sicut igitur ad se mouendum tardius, & tardius, non requiritur virtus maior, & maior, sic ad se constituendum in loco minori, & minori, non requiritur virtus maior, & maior. Ratio est, quia tanta virtus potest esse sufficiens ad suum maximum, & adæquatum effectum, nec non ad omnes effectus minores, & minores, prout agens voluntarium voluerit.

28. Ad 5. Nego sequelam. Vt enim dictum est num. 19. Angelus propter limitationem suæ virtutis non potest se determinare ad occupandum locum longiorem, & longiorem, etiam si talis locus, quia sit arctior, & arctior, non sit maior loco adæquato Angeli.

27. Ad 6. Respondeo, quod in mea sententia dantur puncta, superficies, & linea, vt dixi quæst. 42. Physicæ; ergo ex hoc capite non repugnat, vt Angelus se constituat in puncto, linea, vel superficie. Addo, quod ad hoc, vt Angelus sit in puncto, non requiritur, vt sit intra ambitum puncti, sed sufficit, vt sicut Angelus est indiuisibilis, sic penetratur cū solo puncto indiuisibili, & cum nullo alio penetratur.

## QVÆSTIO EXLII.

*Virum Angelus possit esse simul in pluribus locis?*

*S. Th. q. 52. art. 2.*

1. **V**idetur Angelus naturaliter posse esse simul in pluribus locis. Tunc enim est in pluribus locis, quando ita est in vno loco, vt secundum idem simul sit in alio; sed Angelus ita est totus in vna parte spatij diuisibilis, vt sit etiam totus in alia parte eiusdem spatij; ergo &c.

2. Secundò si dicatur plura loca contigua constituere vnum locum, sicut plura membra

cor: